

D. Thom. Sylvest. Naldus.

non potest, extat obligatio illud accusandi, vel denuntiandi. Ita D. Thomas 2.2. quæst. 68. art. 1. Sylvest. verb. Accusatio, quæst. 2. Naldus verb. Accusare, n. 3.

16.

Bene scio, quod sunt aliqui casus, in quibus non intervenit obligatio denuntiandi, verbi gratia, si crimen est occultum, vel sub secreto scitur, vel si Reus est emendatus, vel si etiam ipse est comprehensus in delicto, de quibus sigillatim agam, cum de visitatione fuerit sermo.

17.

Tamburin. Peyrin. Bassus.

Dico secundo: quilibet Religiosus si velit poterit alterum accusare pro injuria sibi illata. Ita communiter Doctores apud Tamburinum in praxi criminali, tom. 3. q. 4. num. 10. & Perinum citatum dicto 5. Basseum verb. Accusatio, num. 5. & patet ex dictis quæst. 3. & Probatur: quia accusatio, seu vindicatio si fiat publica auctoritate, est actus virtutis justitiæ, ac proinde optime fieri potest, & maxime pro injuria sibi illata; quilibet enim potest uti jure suo.

18.

Hoc tamen intelligitur, debitis circumstantiis nempe, sine odio, sed intuitu justitiæ, & quando delictum in judicio potest probari, & non est occultum, quia tunc debet præcedere correctio fraterna, ut dixi q. 1.

19.

Dico tertio: licet quilibet possit pro injuria sibi illata alterum accusare, ut diximus, tamen non tenetur, si velit potest injuriam remittere, in quo conveniunt omnes AA. apud Doctores proxime citatos, unusquisque potest non solum injuriam sibi illatam remittere, sed etiam ejus restitutionem; ut docet D. Thom. 2.2. q. 64. art. 5. & quæst. 73. art. 4.

D. Thom.

QUÆSTIO V.

Respectu accusationis maxime considerandum si delictum est factum, vel faciendum: & est in ministris de justitia.

SUMMARIUM.

20 Si delictum est jam completum non tenemur dicere, nisi advocati.

21 Si est damnatum tertia persona pendens in futurum, tenemur accusare. Ministri ex justitia tenentur, ibid.

20.

Circa doctrinam traditam superiori quæstione, tres, vel quatuor casus excipiuntur. Primum, si delictum est in fieri, & adversatur bono communi, & in damnum Reipublicæ: nam tunc necessarium est accusandum, vel manifestandum, ut dixi q. 4. concl. 1. & dicam q. 8. Secundum, si delictum etiam contra bonum commune, jam perpetratum, & completum est, non tenetur accusare, vel denuntiare, nisi vocatus in judicio Toletus lib. 5. c. 7. Filiuc. tr. 40. n. 216.

Toletus. Filiucius. D. Thom. Salon. Filiuc. Bonacina. Clavis Reg. Bassus.

21.

Tertio: si est damnatum tertia personæ pendens in futurum & aliàs non est spes certa, ut per correctionem fiat, & impediatur, tenemur accusare, vel denuntiare. Ita D. Th. 2.2. q. 33. art. 7. Solon. 2.2. q. 68. contrav. 1. Filiuc. Bonacina, Clavis Regia, quos citat Bassus verb. Accusatio, n. 7.

Quarto excipiuntur, qui ex justitia tenentur accusare, vel denuntiare ut sunt Prælati, officiales, ac custodes, qui ex justitia, & ex officio tenentur consulere rei sibi commissæ. Basseus n. 8.

QUÆSTIO VI.

Religiosus potest suum Prælatum accusare: & utrique necessariae expensæ sunt danda à Conventu.

SUMMARIUM.

- 22 Religiosus potest accusare suum Prælatum.
23 Danda sunt expensæ necessariae.
24 Danda expensæ nisi habeat peculium.
25 Si Prælatus agat contra subditum danda expensæ.
26 Prælatus accusatus habet expensas.
27 Accusans tenetur obedire.

Religiosus si velit, potest agere contra suum Prælatum, vel accusando, vel denuntiando illius crimen coram competenti superiore; & ad hoc non tenetur expectare licentiam illius, quem accusat, utitur enim jure suo & hoc frequenter cedit in utilitatem Conventus, & hoc habetur expressè, c. Ex parte 11. de accusationib. ubi Glossa, & communiter DD. quos in magno numero citat Barbosa in Collectan. ibidem.

22.

C. Ex parte. Glossa. Barbosa.

Quando Religiosus suum Prælatum accusat, non sunt ei denegandæ expensæ, tam victus, quam alia necessaria ad licem prosecutionem; ita habetur expressè eodem cap. Ex parte, ubi dicitur Quibus cum proprium non habeant, de rebus Monasterii expensæ debentur. Ita ibi Glossa Monach. Rebuffus, & alii apud Barbosa in Collectan. & notat Surdus de Aliment. tit. 4. q. 23. n. 39. Quod debentur expensæ necessariae, & non utiles; & ut explicat Valascus 161. n. 3. Expensæ necessariae sunt, sine quibus res non potest sustineri, sed omnino periret; utiles verò sunt, quæ ad majorem rei utilitatem, ac commoditatem inserviunt.

23.

C. Ex parte. Gl Monach. Rebuff. Barbosa. Surdus.

Limitatur hæc doctrina cum Sanch. lib. 6. in D. c. 12. n. 21. nisi Religiosus accusans habeat aliquod peculium; tunc enim non tenetur Monasterium litis expensas ministrare, quia cessat ratio apposta cap. Ex parte, eo quod Monachus aliunde habeat expensas.

24.

C. Ex parte. Sanchez.

At verò si Prælatus agat contra Monachum eum accusans de aliquo delicto: Et si aliqui negent, communior, & verior est sententia, quod Monacho danda sunt expensæ à Monasterio, v. g. ad inquirendos testes longe distantes: magna est utilitas Monasterii ut veritas agnoscat, & quod non pereat innocentia unius religiosi, qui est Monasterii membrum. Ita Anchar. Filius, Lupus, quos citat & sequitur Sanchez citatus, n. 25.

25.

Anchar. Filius. Lupus. Sanchez.

Similiter Prælatus accusatus à subdito habet expensas necessariae ad sui defensionem usque ad finem litis; nam superior pars est Monasterii & Monasterii interest, quod Prælatus se defendat, & sit immunis à culpa. Ita Glossa n. 12. & cum multis aliis Surdus de Alimentis, tit. 1. q. 127. num. 1. Quod limitat nisi Abbas habeat

26.

Glossa. C. Ex parte. Abbas. Henriquez. Surdus.

habeat sufficiens peculium; ut de Monacho modo diximus.

27.

Notetur tamen hic, quod Religiosus suum Prælatum accusans, durante lite, tenetur ei obdare, ut antea; adhuc enim Prælatus suo officio fungitur & ab illo non est privatus. Glossa citato cap. Ex parte. Lezana verb. Accusare, n. 5. Sanchez citatus, n. 3. ubi advertit quod quando aliqui DD. contrarium dixerunt, quod non teneatur obedire Prælato, hoc intelligitur, quod non tenetur ei obedire ut à lite, ac accusatione desistat.

Glossa. Lezana. Sanchez.

QUÆSTIO VII.

Religiosi non possunt esse Auctores, seu accusatores in judicio forensi sine licentia suorum Prælatorum.

SUMMARIUM.

- 28 Sine licentia Prælati non potest Religiosus aliquid agere in judicio forensi.
29 Abbas, invito subdito, potest remittere injuriam ei factam.
30 Causa mora à Monacho sine licentia Superioris est nulla.
31 Religiosus sine licentia Prælati non potest accusare, nec denuntiare.

28. Sanchez. Sylvest. Armilla. S. Anton. Novar. Lopez. C. Cum dilecti.

Erra & communis resolutio est, quod non potest sine licentia sui Prælati. Ita Sanchez lib. 6. in Decalog. c. 12. n. 5. cum Sylvestro Armilla, S. Antonino, Navarro, Lopez; & aliis multis Canonistis. In hoc æquiparatur Religiosi cum servis, ac filiis familias, & quasi pro mortuis habentur, ut tradunt DD. cap. cum dilecti, de Rescriptis, & Authentica causa, quæ sic cum Monacho, C. de Episcopo, & Clerico. Monachus enim non est sui juris, ac proinde non potest litem movere sine Prælati licentia.

29. Sanchez. Pellizar.

Ex quo inferunt Sanchez citatus, num. 6. & Pellizar. tr. 6. cap. 12. num. 31. Possit Abbatem invito Monacho, remittere injuriam eidem Monacho illatam: cum is nullam actionem habeat, omnemque suam voluntatem transferat in Monasterium; ita ut ipse neque habeat velle, neque nolle; è contra verò Monachus non potest remittere talem injuriam, cum non sit sui juris, ac agendi jure destituitur.

30.

Ex qua ratione sequitur, quod judicium agitatum cum Monacho absque licentia Superioris in casu non concessio (de quo statim) sit nullius momenti, cum persona Monachi non sit legitima ad comparandum in judicio sive ut Actor, sive ut Reus sine licentia sui Superioris: nam judicium, ut sit legitimum, debet constare iudice, Actore, & Reo legitimis Cap. Forus, de verborum significationibus; ex communi sententia Doctorum: illud autem judicium caret actore legitimo. Ita Sanchez citatus, numero duodecimo. Lezana verb. Accusator, numero secundo, & Pellizar. num. 32. Qui etiam advertunt posse Superiorem, si voluerit ratum habere illud judicium, in quo Sylveira Opuscula.

C. Forus. Sanchez. Lezana. Pellizar.

Religiosus actor fuit, seu accusator, sine licentia ipsius.

31.

Deducitur etiam, quod religiosi sicut non possunt accusare, ita nec possunt denuntiare, denuntiatione tendente ad punitionem personæ denuntiatae, adeoque sicut non possunt accusare, nisi simul concurrant licentia Superioris, & utilitas Monasterii. Ut notant Sanchez citatus, n. 27. Ex cap. Monachi 2.16. q. 1. ita nec possunt modo dicto denuntiare, nisi illa duo simul concurrant. Ita Glossa cap. ex parte supra citato, verb. Licet, & DD. communiter Pellizar. tom. 1. c. 12. n. 34.

Sanchez. C. Monach. Glossa. Pellizar.

QUÆSTIO VIII.

Proponuntur aliqui casus, in quibus possunt sine Superioris licentia agere in judicio.

SUMMARIUM.

- 32 Non requiritur licentia Prælati, quando Monachus ab eo distat.
33 Si agit contra Prælatos, vel ipsos accusat, & num. 34.
35 In casu hæresis, ad accusandum non est necessaria licentia Prælati.
36 Ad denuntiandum Confessorem sollicitantem, talis licentia non est necessaria.
37 Idem est in crimine læsæ Majestatis.

32.

Primum, quando Monachus est extra Monasterium, videlicet, in studio, aut alibi negotii causa cum licentia sui Superioris, & quando Superior ita est absens, ut commode absque periculo in mora non possit haberi ejus responsum, tunc potest agere in judicio ratione licentiæ præsumptæ in istis casibus Navar. Comm. 2. de Regul. n. 65. Azor. lib. 12. Navar. cap. 11. q. 9. imò ratione licentiæ data potest agere in judicio: nam talis licentia sic intelligitur data, ut convenienti modo se habeat, prout ad ipsum spectat.

33.

Secundo: si Religiosus agere velit contra Prælatos, ut in Religione teneatur, vel ut ab ea expulsus admittatur, vel ne ei, quæ de jure ordinis debentur, denegentur tunc poterit sine licentia ipsius, litem agere, servatis tamen aliis servandis; in hoc anim casu ipsa Religio, & jus naturale dat talem licentiam, Sanch. lib. 6. Sanchez. in Decalog. cap. 12. nu. 16. Lezana tom. 1. cap. 9. num. 11. & etiam ab ipso jure naturali habet licentiam quando à Prælato patitur Religiosus magnam violentiam, ut inde recurrat ad principem, ut dicam cum de appellationibus fuerit sermo.

34.

Tertio: si velit accusare suum Prælatum, ut facere potest, nisi aliqua rationabilis causa obstat, verbi gratia, quod sit excommunicatus, vel ejus inimicus declaratus, tunc ab ipso jure habet licentiam.

35.

Quarto: in casu hæresis, vel suspicionis hæresis tenentur Religiosi accusare, seu denuntiare omnes, & quascunque personas tam sui Ordinis, quam alterius, etiam sæculares, Dominis Inquisitoribus, nulla expectata

Paul. V. Lezana.

licentia, seu consensu suorum superiorum. Ut constat Constitut. Pauli V. que incipit: Romanus Pontifex: quam refert Lezana verb. Accusare num. 7. & idem habetur ex quodam Decreto Dominorum Cardinalium universalis inquisitionis, quod incipit: universis, & singulis: quod refert Peirinus tom. 2. Privileg. Minor. in Constitut. 9. Pauli V. n. 25.

Peirin.

36.

Greg. XV.

Quinto. Personæ sollicitæ à confessoribus tenentur eos denunciare sancto officio inquisitionis, vel locorum Ordinariis juxta Constitut. Gregorii XV. & ad hoc non tenentur tales personæ religiose sollicitæ postulare licentiam à Prælati, cum enim de hoc extet mandatum, nihil aliud est necessarium.

37.

Fr. Ant. à Spiritu S.

Sexto. Idem dicendum tenet M. Fr. Anton. ab Spiritu sancto tom. 3. tract. 4. disp. 3. sect. 7. Quando crimen est læsæ majestatis, conspirationis in principem, rebellionis, falsificationis monete, subornationis suffragiorum in electionibus, & his similia, à jure naturali quisquis tenetur hæc denunciare, inde videtur ab eo habere licentiam, & ratio est, quia unusquisque tenetur meliori modo, quo possit subvenire bono communi, sed si alio modo non potest, nisi accusando, ad hoc tenetur sub mortali, quod verum est etiam si delictum habeatur sub secreto naturali, & juramento, modo secretum non sit confessionis.

QUESTIO IX.

Qualiter, & quomodo Religiosus possit eligere procuratorem.

SUMMARIUM.

- 38 Monachus non potest constituere procuratorem sine licentia Prælati.
39 Quando Religiosus potest stare in judicio sine licentia Prælati, potest, sine illa facere procuratorem.

38.

Clem. Religiosus.

EX dictis quest. 7. bene sequitur, quod Religiosus non possit licite, & valide absque superioris licentia constituere procuratorem, qui ejus nomine rem agat in judicio, nam sicut ipse per se non potest agere, ita nec per alium potest. Nam in Clement. Religiosus de Procuratore, talis procuratoris constitutio prohibetur. Ponitur enim ibi clausula: non potest: quæ actum reddit nullum, & invalidum, saltem quando res non interdicatur ob solam personæ honestatem, sed ob ipsius vitium, ut in præsentis casu, in quo propter incapacitatem monachi ad standum in judicio sine superioris licentia, id interdicitur. Ut ex Sicca observat Sanchez lib. 6. in Decalog. c. 12. num. 10. Lezana verb. Accusare n. 6.

Sicca. Sanchez. Lezana.

39.

Palas. Glossa. Navar. Sanch.

Tamen quotiescumque Religiosus potest stare in judicio absque licentia Prælati, ut dixi quest. sup. potest etiam sine licentia Prælati eligere procuratorem, qui pro eo compareat in judicio, vel agendo, vel se defendendo, quæ enim potest per se ipsum præstare, potest à fortiori per alium. Ita Castr. Palas tract. 16. disp. 4. part. 12. §. 2. num. 5. Ex Glossa, Navar. Sanch. & aliis, Menens in hoc casu forman-

dum esse libellum nomine Religiosi, & in ejus personam publicari debere sententiam condemnatoriam, si Religiosus debet condemnari.

QUESTIO X.

Qualiter, & quomodo accusatio apud judices seculares in causa criminali sit prohibita monachis.

SUMMARIUM.

- 40 Monachi absque irregularitate, possunt accusare in judicio facta protestatione.
41 Hæc protestatio, quamvis fiat ficto animo, sufficit.
42 Qui accusat petendo vindictam, etiam cum protestatione, sit irregularis.
43 Si accusatio sit coram judice Ecclesiastico, non est necessaria protestatio.
44 Talis protestatio necessaria est laicis ad evitandam irregularitatem.
45 Forma, qua faciendæ sit protestatio.

ERTUM est, apud omnes, quod omnes Ecclesiastici prohibentur accusare aliquem apud judices seculares in causa sanguinis, patet ex Cap. sententiam sanguinis, tit. de Clerici, vel Monachi. Et tamen ne pravis hominibus larga esset facultas inferendi injuriam Ecclesiasticis ob periculum irregularitatis, statutum est, cap. postulasti de hominibus, & cap. Prælati etiam de homicidio in 6. Quod permissum sit Clericis, & consequenter Religiosis, non solum sine peccato, sed etiam sine aliqua irregularitate accusare apud judices seculares suos malefactores in defensionem sui, suorumque rerum, etiam super criminalibus, quibus poena sanguinis debetur, dummodo protestentur se non intendere dictam poenam sanguinis, et si postea imposita sit à judice. Ita M. Cornejo tract. 5. de irregular. disp. 11. dub. 1. Coninch. disp. 13. num. 92. Bonac. disp. 7. de irregul. quest. 3. punct. 2. num. 3. Naldus verb. Irregularitas, num. 11.

40.

C. Sententi.

C. Postulasti. C. Prælati.

Cornejo. Coninch. Bonach. Naldus.

41.

C. Prælati.

Cornejo. Suar. Filiucius. Turrianus. Hurtad. Præposit. Henriquez. Coninch. Avila.

42.

An verò hæc protestatio debeat fieri ex animo vero, & sincero an sufficiat animo ficto, & apparenti; dubitant Auctores, Multi affirmant requiri animum verum; sed contraria sententia simpliciter est tenenda, quod sufficiat animus fictus exterius apparens ad evitandam irregularitatem, nam in cap. Prælati allegato solum requiritur protestatio externa, & desiderium illud internum quantum exterius non ostenditur, impertinens est ad contrahendam irregularitatem, nulla enim ratione influit in mortem Rei. Ita citatus M. Cornejo dub. 1. quest. 6. Suar. de censur. disp. 47. sect. 2. num. 3. Filiucius tract. 19. cap. 9. quest. 9. num. 248. Turrian. Hurtadus, Præpositus, Henriquez, Coninchus, Avila; quos citat, ac sequitur Diana part. 4. tract. 2. Resolut. 75. §. Sed fallitur.

Unde sequitur, quod ille, qui accusat alium in causa criminali petendo externis verbis vindictam, fieri irregularem, secuta mutilatione, vel morte, etiam si protestetur se non inten-

Henric. Molina. Avila. Suar. Filiucius. Reginald. Bonacina.

intendere poenam mortis, vel sanguinis. Ita Henriquez cap. 10. num. 4. Molin. tom. 1. tract. 4. disp. 8. num. 3. & tom. 4. tract. 3. disp. 74. Avila, Suarez, Filiucius, Reginaldus; quos citat, ac sequitur Bonacina disput. 7. de irregul. quest. 3. punct. 2. num. 2. Et ratio est, quia eo ipso, quod in causa criminali petit vindictam, vult Reum puniri poena sanguinis, quæ propter illius delictum à lege imponitur, & consequenter censetur petere poenam sanguinis.

43.

C. Prælati.

Molina. Sayrus. Bonacina.

44.

Filiucius. Lezana. Pellizar.

54.

Bonacina.

Hæc autem protestatio non est necessaria, quando accusatio fit coram judice Ecclesiastico; ut si Religiosus accuset aliquem apud suum Prælatum, vel apud alium judicem Ecclesiasticum de crimine mortis poena digno; & ratio est, quia textus dicti cap. Prælati id exprimit dum dicit: Penes seculares judicem: Tum quia judex Ecclesiasticus, non potest inferre poenam sanguinis, & quamvis eum tradat brachio seculari, non tenetur concurrere ad mortem, nec etiam accusator apud eos. Ita Molina tract. 5. disp. 8. num. 7. Sayrus lib. 8. de censur. cap. 18. num. 14. & alii communiter apud Bonacinam de censur. disp. 7. quest. 4. punct. 1. num. 74.

Advertunt tamen Filiucius citatus, Lezana verb. Accusare num. 19. Pellizar. tom. 2. tract. 7. cap. 5. sect. 4. n. 18. Quod talis protestatio non solum est utilis, sed etiam laicis necessaria, si velint vitare irregularitatem incurrandam ex accusatione facta in causa sanguinis.

Si verò queratur: Quomodo faciendæ sit talis protestatio ad evitandam irregularitatem; Dico quod coram judice seculari ita faciendæ: Domine, peto tibi satisfactionem, aut restitutionem exhiberi à Titio, qui mihi damnum intulit: proestor tamen, me nulla ratione intendere poenam sanguinis, aut mutilationem, aut mortem. Ita Bonacina citatus num. 9. Qui etiam addit; quod quamvis, non sit necesse, ut talis protestatio fiat scriptis, cum id nullo jure ostendatur, ea tamen debet esse expressa, ut colligitur ex citato cap. 2. de homicidio, numero 6.

QUESTIO XI.

An Regularis sit immunis ab irregularitate accusans coram seculari, cum protestatione ob suam, suorumque causam, etiam comprehenso latrone?

SUMMARIUM.

- 46 Non sit irregularis accusans in causa criminali ob injuriam illatam suis consanguineis subditis, & num. 47.
48 Ecclesiasticus potest capere latronem, & cum protestatione tradere judici seculari.
49 Theologus in periculo vite potest dare consilium ad accusandum.

46.

QUANquam graves Theologi teneant, quod non evitatur irregularitas quando quis accusat in causa criminali coram judice seculari ob injuriam suis illatam, tamen contraria sententia est verior, & communior, fa-

cta protestatione, ante accusationem. Ita Avila, Hurtadus, Coninchus, Villalobos, Præpositus & alii, quos citant, ac sequuntur Diana 4. part. tract. 2. Resol. 33. Layman lib. 31. de Just. tract. 3. part. 3. cap. 7. Assert. 5. num. 6. Castr. Palas de Censur. part. 14. §. 2. num. 6. Bonacin. citatus punct. 2. n. 4.

Avila. Hurtad. Coninch. Villalob. Præposit. Diana. Castr. Pal. Bonacina.

Dico ergo, quod accusator excusatur ab irregularitate, quando protestatione facta ob læsionem iustitiam in propria persona, aut propriis bonis, aut ob læsionem propriis personis, quæ ad ipsum attinent, ut sunt ejus propinqui, ut v.g. parentes, filii, fratres, ac consanguinei, ac etiam ob læsionem factam, eis, qui sunt ejus curæ commissi, ut sunt ejus subditi, aut conventus, si illius est Prælati; & probatur hæc resolutio ex multis decisionibus, quas adducit Riccius collect. 618. part. 3. Quæ in hoc casu militat, teste Naldo verb. irregularitas num. 11. & Probatur, quia cap. Prælati de homicidio, in 6. conceditur ut quis conqueratur de suis malefactoribus; tum autem malefactores sunt omnes isti, qui tuis adversantur: nam malum nostrorum propinquoium, ac subditorum, moraliter nostrum malum censetur, qui enim agit causam suorum propinquoium, agit causam sui sanguinis. nempe cognatorum intra quartum gradum exprimit Castr. Palas, & qui agit causam subditorum, agit ea, quæ sunt sua, ratione officii, & maxime quia bona Ecclesiæ pro suis ab Ecclesiasticis reputantur ut ait Bonacina citatus n. 5. post alios.

47.

Riccus. Naldus. C. Prælati.

Castr. Pal.

Bonacina.

48.

C. Prælati.

Suar. Covar. Tabiena. Francus. Lezana.

49.

Pellizar.

Juxta hanc doctrinam sequitur, quod regularis, sive Ecclesiasticus, possit capere, detinere, & tradere judici seculari talem malefactorem, protestatione tamen præmissa; cui enim finis est permissus, etiam media necessaria permissa censetur; cum ergo illi permittitur accusatio, etiam hæc, quæ ad ordinariam accusationem ordinantur. Et confirmatur; nam cap. Prælati, de homicidio, in 6. videtur concedere omnes actiones, quæ per se conjunctæ sunt cum ipsa accusatione, ne Ecclesiasticus suam rem deperdat, Suar. tom. 5. ad 5. disp. 47. sect. 2. nu. 19. & 20. cum Covarruvias, Tabiena, Franco, & aliis, & Lezana verb. Accusare, num. 19. ad medium, cum aliis.

Idem etiam potest Theologus sacerdos dare consilium alteri constituto in periculo vite, aut amissionis bonorum suorum, ut accuset, ac denunciet judici laico personas sibi insidiantes, ac spoliantes, præmittendo tamen protestationem. Ita Pellizar. tom. 2. tract. 7. cap. 5. sect. 4. num. 180.

QUESTIO XII.

An dentur aliqui casus, in quibus Religiosi absque protestatione & irregularitate accusent coram judice seculari, licet ipse damnet ad mortem?

SUMMARIUM.

- 50 Non sit irregularis, qui accusat de levi, licet judex condemnet ad mortem.